

/ Illustrissime, et Reverendissime Domine. Accepi litteras Illustrissimae D. Vestrae, datas die septimo Octobris, et legi attentissimo animo Apologeticum ad me per D. Manderum transmissum. Equidem ardenti desiderio cupivissem, ut nulla fuisset data occasio hujus  
5 Apologetici; vix enim fieri potest, ut non scandalizentur populi, si audiant Principes Ecclesiasticos, qui pacem annunciare, et procurare totis viribus debent, sic inter se rixari, ac si inimici inter se, et non fratres essent. Quia tamen, ut mihi quidem videtur, justam causam habuit Illustrissima D. V. respondendi ad objectiones;  
10 ta; existimo totum esse probe factum, atque ut posses majorem utilitatem adferre; optarem legi Apologeticum a Sanctissimo Domino Nostro, vel certe ab Illustrissimo ejus Nepote Germaniae Protectore, sed neque hoc spero futurum. Scripsi nuper ad Illustrissimam D. Vestram in quo statu res essent, et meam operam in hoc negotio nihil  
15 amplius profuturam. Itaque accipiat Illustrissima D. Vestra bonam voluntatem meam, cum nihil in praesenti negotio offerre possim aliud; Deum orabo, ut ipse manum suam apponere dignetur, et ne tam insignis Ecclesiae detrimentum aliquod patiatur, et ut Pastores Dominici gregis eodem spiritu ducantur, et contra lupos, non contra  
20 invicem armentur. His valeat Illustrissima D. Vestra mei memor in sanctis precibus suis. Romae die 5. Decembris 1616.

---